

« dogmate; phares enim graece, latine divisio interpretatur [a]; et habitabimini terram  
« hanc [b].

« Alme pater Petre, supplex te posco, beate,

« Ulque Dionysio [c] velis associare fidei,

« Quem Franci patrem apostolumque tenent [d].

quem franci - tenent

« Ut Spiritus Sanctus visitare dignetur corda spiritus hujus [e], clamantium ad te [f],  
« in necessitatibus eorum. Cumque simul omnes respondissent [g]: Amen; illico vo-  
cans ad se duos ex vexilliferis suis, [h] dicens: Ite cito, et huc nostra ferte vexilla,  
« Habeunt nuncii [i] et in proximo redeunt, et vexilla tulerunt. Tunc Comes

Inclutus, insignis, jffundus, strenuus, altus,

Laudari probitas cujus ab hoste potest,

Actibus aethereum dignus habere locum.

Iterum sic orsus est: « Et paveant pavore magna, et confundantur qui persequuntur  
« vos, et fluant ante vos, et ista signa, sicut cera a facie ignis, et sicut ros ante  
« solem, deficiant; et nati natorum, et qui nascentur ab illis, in interitum [j] in per-  
« petuum sint [k]. In gemitibus vestris [l] iuvenes et nobiles eorum gladio confodian-  
« tur in praelio, et clamor de domibus eorum audiat, et eos duplici contritione con-  
« tere eos, Domine Deus noster.

« Haec vexilla [m] duo, signantia foedus amoris,

« Militibus vestris et pacis dono duobus [n].

« Intravi quibus in magno susceptus [o] honore,

« Ad vos cum veni multis sociatus amicis,

« Praesidiumque tuli, vestros sternendo rebelles.

« Haec duo signa dedi, duo postis fixa reliqui [p],

« Quae simul inspecta penitus dicentes: haec illa:

« Iesu Christe tua rex cum genitrice Maria,

« Qui dux, qui custos, qui vincere diceris hostes [q].

postis in  
lapis

[a] divisio interpretatur, C. M. In C. V., interpretor. Sed passive etiam construitur — [b] habitabimini terram hanc, C. M. In C. V., habitamini terram hanc. Perperam verbum habito in deponentis verbi modum adhibetur. — [c] Utque Dionysio. Sic legendum; non ut quia Dionysio, ut alii. — [d] Apostolumque tenent, Codd. M. et A. In C. V., timent. — [e] Corda spiritus hujus, Codd. M. et V. Apud Cl. Mitt. habetur corda sperantium. Verum, loco spiritus, legendum fortasse populi. — [f] clamantium ad te. Sic palam in C. M. Contra ac habet alius cod., Cl. Mitt. habet clamantes, et sic etiam C. V. Restituenda igitur esset lectio sic: corda sperantium et clamantium ad te. — [g] simul omnes respondissent. Sic lego; Cl. Mitt., similiter omnes respondissent. — [h] ex vexilliferis suis. Sic lego in C. M. In C. A., ex cruciferis suis. Cl. Mitt., ex comitibus suis. — [i] Abeunt nuncii, C. V. et Cl. Mitt. In C. M., habeunt nuncium. — [j] in interitum. Sic Codd. — [k] in perpetuum sint. Sic legit Cl. Mitt. In C. V., in populos fiant. — [l] in gemitibus vestris. Cl. Mitt., loco vestris, legit nostris; C. V., in genitoribus vestris. Quenam ex binis lectionibus praeferenda sit, dijudicent alii. — [m] Haec vexilla etc. Sequuntur versus, more solito scripti, et non parum depravati. — [n] et pacis dono duobus, C. V. In C. M., pacis dono haud amplius potest legi. Hinc Cl. Mitt. hunc versum sic legit: militibus vestris et . . . . . dono duobus. — [o] in magno susceptus. Deest in Codd.; sed ad versum supplendum addidi. — [p] duo postis fixa reliqui. Codd. habent postis. An legendum portis? Reliqui, C. V., relinqui, C. M. — [q] vincere diceris hostes. Sic legendum puto. Codd. habent dicere vinceris.

Psalm. 67

Nich 1, 4